

1350 aug. 22.

gravis guerrarum concertatio decurrisset, obiit Philippus rex Fran-
cie memoratus, succedente sibi statim in regno Johanne filio suo
viro bene strenuo et morigerato, contra quem insurgens dictus
rex Anglie in et ipsum statim bello expetens transfretans³¹
mare et de opido Kaleys, quod dudum a Philippo rege Francie
circa mare expugnatam obtinuerat, exercitum in Franciam pro-
ducens comitatum Attrebatensem usque ad civitatem Ambri-
anensem³² igne et ferro percurrens cuncta vastavit. Johannes vero
rex Francie congregato iam exercitu infra civitatem se conti-
nens locum pugne non dedit, cum tamen suis altero exercitu
foret maior. Rex igitur Anglie incerta continuans dictum re-
gem Francie non cessavit frequentibus bellorum incurisibus fa-
tigare, nunc per se ipsum nunc vero per suos principes et capi-
taneos fines regni Francie hostiliter aggrediens, circumquaque pre-
sertim in Aquitania et in Britania munifissima fortalicia expu-
gnans et ad deditionem coegit. In quibus bellorum incurisibus per
satrapas et gentes dictorum duorum in diversis locis diversis tem-
poribus commissis semper pars regis Anglie potior videbatur,
ubi etiam in quodam bello commisso in Britannia per exer-
citum regis Anglie dux Britanie captivatur. Porro eadem tempe-
state dum filius regis Anglie videlicet princeps Vallie vir in belli-
cis multum strenuus et victoriosus cum exercitu ageret in par-
tibus Tolosanis et in partibus Aquitanie atque Vasconie undique
peragratis multas civitates et loca regis Francie sibi virtute

³¹ transfretatus cod. sed eadem, ut videtur, man. corr.

³² Artois. ³³ Amiens.